

Franckesche Stiftungen zu Halle

Oratiuncula peractis exsequiis ... Viri Dn. Sebastiani Roberi U. J. D. d. 20. Junii immaturâ quidem morte, at maturâ pietate & egregio fidelis ...

Berg, Konrad

[Frankfurt an der Oder], MDCXXVII

Text

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:obv:ha33-1-219875](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:obv:ha33-1-219875)



Agnifice Dn. Re-

ctor, Viri pietate, doctrinâ, consiliis, dignitate, Virtute, Reverendi Excell. Spectatiss. CL. Præstantiss. Juvenes genere & literis florentissimi. Nihil est fer-

mè quod & in ore omnium æquè versetur, & in hodiernâ malorum panegyri, experienciâ magis comprobetur: quàm quod calamitatem ajunt nullam solam esse. Id cum apud quosvis, de malorum societate vero consentaneum magis quam pro voto inveniri soleat: apud sapientes tamen de eorundem temperaturâ accipi potius & usurpari debebat: eò quod nulla piis calamitas tanta queat ingruere, quam non & boni simul alicujus admixtio corrigit. Semper enim talis est Deus, ut piè Origenes, excruciat nocentes: sed quasi pius pater, tormentis clementiam sociat. Ezechiel Propheta in communi cum aliis captivitatis jugo, deorsum quidem labores videt, & aliud ex alio malum: at sursum elevans oculos, apertos suspicit cælos; cernit sibi referata cælestia; videt similitudinem gloriæ Dei; videt quatuor animalia, cernit rotas sese invicem continentes: auriga verò quatuor animalium non totus est igneus, sed pubetenus duntaxat à pedibus; & exinde usque ad summum electri fulgore rutilat. Non enim solum tormenta habet Deus, sunt in eo etiam refrigeria. Videlicet non cruda agris aut nuda medicamina propinat, sed hoc pacto temperata; ut si in ventre maximè, hoc est, quâ terræ etiam inhæremus, amaritudinem suam spargant: in ore tamen,

men, hoc est quâ sursum erigimur, & æterna potius quàm transitoria cogitamus, dulcedinem non suavem minus quàm durabilem & salutarem effundant.

Alii aliter hæc experimur, quibus & sua est domi dolorum seges, & sua vicissim solationum messis subinde conceditur: illustre verò exemplum publicè hodie præbent ii, quibus modò adjutum luctum suum & adjuvando diminutum ivimus: præbet quoque *Vir CL. & consultiss. Dn. SEBASTIANUS ROBERUS U. J. D.* Dominus & amicus noster dum viveret honorandus; cujus quod terrenum erat destructum atque exesum morbi amaritudine in conditorium modò intulimus: retinente interim diviniore parte dulcedinem atque escam verbi, quâ ad omne corruptionis periculum jam pridem munita fuit.

Atque ut calamitatum prius catenam enarremus: natus ROBERUS noster anno superioris seculi nonagesimo tertio, sextum ætatis annum nondum compleverat, quando Patrem, *Virum CL. Dn. ELIAM ROBERUM U. J. D. & Prof. hujus Acad. pub. florentem* tum maximè virtute, famâ, ætate, majoribus præreptum honoribus, luctuoso casu amisit. Orbitatem ejusmodi quæ mala comitari soleant, notius est quàm ut verbis à me explicari debeat. Ipse, dum vixit mente magis bonâ & ingenio vivaci, quam corpore & valetudine firma usus est. Sed & ingenio tempora inviderunt; quæ dum vario passim turbine cuncta miscent; & hunc & alios non paucos literarum alumnos, in portu patrio vel invitos continent: & quod ex peregrinatione interclusâ decederet, labore improbo studioque pertinaci supplere cogunt. Affecutus demum terminum quem diligentia sibi solet proponere, ut Reipubl. ut Patriæ ut Juventuti studiosæ utilis esse posset: imò cum fuisset jam permultis qui ipso,

A 2

quâ

quâ privatim, quâ publicè, ad arcana legum civilium duce feliciter usi fuerant: phisico corripitur malo, quod jampridem sibi idoneum in ejus pectore domicilium dispexisse videbatur: à quo etiam, inde à proximâ Paschatis festivitàte magis magisque languens; tricesimo quarto, hoc est eodem quo Pater olim ætatis anno, die retrò quinto extinctus fuit. Nihil horum est in quo non aliquem calamitatum plurium quasi creditorum concursum, debitum nescio quod à naturæ peccatricis herede exigentium observare liceat: sed nullum gravius potuit evenire symptoma, quàm quod videret, minimè se exonerari naturæ debito, suumque adeò dolorem morte mutare posse: quin gravissimum simul dolorem ad conjugem suavissimam, ad socerum ad parentes transfunderet: filiola autem suæ nondum plenè bimulæ damnum maximum & acerbam orbitatem relinqueret. Enimverò optimæ quæque naturæ, cum alia omnia pati decreverint, misericordiam tamen suorum haud facile aut sustinere possunt aut exuere: quod eam non naturæ tantum necessitas, sed & pietatis quædam ac officii species nobis astringat. Adeò alienum est à sensu carnis, quod Christus præcipit: si quis ad me venit, & non odit patrem, & matrem suam, uxorem, liberos, fratres, sorores, suam denique ipsius animam, non potest meus esse discipulus.

Nihil attinet multa porrò de cumulata illorum ærumnâ dicere, ad quos ex immaturo defuncti obitu dolor præcipuè devolutus est. Publica quisque vix ferimus mala, quid eos existimabimus, quibus & privata accesserint? Videtis *Virum Excell. & Consult. Dn. MATTHIAM POLENIUM U. J. D. Sereniss. Electoris Brandenburgici Consiliarium, Juridicæ Facultatis Ordinarium, & Professore Academici meritissimum: Dominum & Collegam nostrum pl. honorandum*: qui sub vitrici nomine

mine veri,perpetuo patris affectum aluit : nōstis & matrem
 superstitem CATHARINAM GERSTMANNIAM,
 fœminam matronalium omnium virtutum laudibus splen-
 didissimam : his ingravescentis paulatim ætatis solatium,
 fulcrum & spes senectutis occidit. Intuemini senem cele-
 berrimum *CL. atq. Excellentiss. Dn. DAVIDEM ORI-
 GANUM Matheseos in hac Academia Professore*, non annis
 & famâ maiorem quam meritis, ipsaque nobis canicie vene-
 randum ; is quem sibi tertio generum filiumque adoptarat,
 à quo ultimum pietatis officium acciperet ; turbato naturæ
 ordine, tertiam luctus & lachymarum sibi materiam factum
 experiri cogitur. Filia autem unica, quod gravissimum est,
 CATHARINA ORIGANI, fœmina laudatissima &
 pientissima, tertium nunc, proh dolor, vidua, relicta cum
 infante filiola, non ætate vel tempore, sed inter fatalia hone-
 stissimorum cætero qui cōjugiorum divortia, luctu & mœ-
 rore suo consenescit. Perstringimus isthæc, quantum ad no-
 titiæ & sensus nostri significationem, non quantum ad rei
 gravitatem sat est : non enim alienum irritamus dolorem,
 sed testamur nostrum : imò non tam illorum ad quos pro-
 priè isthæc pertinet, quam nostram, omnem hanc tristitiam,
 esse convenit. Caritatis enim viscera, in propriis adverstiti-
 tibus ferrea atque adamantina, quoad possunt ; in alienis te-
 nerrima ac delicatissima esse debent. Ita voluit, qui & invi-
 ctam in quibusvis malis patientiam, & mitem simul erga
 alios misericordiam fidelibus imperat.

Quantumvis autem & multa & gravia sint, quibus cum
 defuncti tum propinquorum superstitum animos vulnera-
 tos diximus : si tamen & jucunda contra comparemus, qui-
 bus hunc lachrymarū calicem divina temperavit benigni-
 tas ; non dubito agnituros mecum, verum esse quod inirio

diximus, nullam piorum calamitatem adeò vel folam vel aliarum porrò ærumnarum societate innexam esse: quin intertextis passim quasi gemmis quibusdam beneficiorum divinorum facilè præponderetur. Id sanè propius ac facilius nos percipimus, qui à luctu paulò remotiores sumus; utinam verò sicut mœroris omnem sensum in nos caritate recipiendum diximus: ita notitiam vicissim & sensum nostrum in lugentium animos argumentis derivare possemus.

Primum Dei beneficium fuit natalium felicitas: quos & audivimus modò publicè, & ne eadem sæpius vobis cognoscenda sint, exactius potestis discere ex programme, quo ad exsequias funeris hujus invitati estis. Post parentes, quos ante nominavimus, avi imprimis materni, Dn. D. SEBASTIANI GERSTMANNI Jcti celeberrimi, S. Cæs. Maj. Rudolphi II. Serenissimi item Electoris Brandeb. & multorum aliorum Germania Principum Consilarii quondam Spectatissimi; Facultatis in hac Academiâ Juridicæ Ordinarii & Professoris meritisissimi, recens etiam est apud omnes memoria. Reliquam Gerstmannorum, Roberiorum, Rademanniorum familiam per omnem ferè Germaniam sparsam ac nobilem, talem esse constat: ut, si verum est illud Sapientis nostri; gloria filiorum, patres eorum; gloriosum verè macariten nostrum proclamare liceat. Et hoc quidem dono calamitatem omnem prævenit Deus: orbitatem deinceps prudens matris industria, & matrimonii quod secundo eadem contraxit, rara felicitas, quo defunctus parentem nactus est, qui quod ad affectum patris naturæ deerat, integritate & virtute facilè suppleret, abundè compensavit. Addo & proavia maternæ amorem, apud quam ad decrepitam usque ætatem rarâ Dei benignitate servatam, concedentibus in Silesiam parentibus, non minori interim quàm ab ipsis fieri potuisset, fide ac di-

ac diligentia curatus fuit. Corporis infirmitatem, temporumque injuriam, vel superavit vel exæquavit, curâ, ingenio, labore ac diligentia; quam in diversis primum scholis ac Gymnasiis, Joachimico imprimis & Svidnicensi; demum in hac Academia, docentibus probatam dedit: donec lucem majorum, novis & ipse radiis accenderet; quando Decano & Promotore Viro eminentissimo Dn. D. CYR. HERDESIANO U. J. D. & P. solertissimo, summorum in legum studio honorum titulis atque insignibus, non sine laude & applausu, anno fluentis seculi vicesimo secundo, ornatus fuit. Paulò post emerito ac celeberrimo Seni Dn. D. MATTHÆO CUNONI *Jcto & Ordinario*, benedictæ memoriæ, in docendi munere substitutus; collegit quoque talenti divinitus sibi concessi fructus; quos revertentem, suo tempore Dominum, non sine laude & præmio relicturum esse confidimus. Accessit ad hæc ornamenta, ante annos quasi tres, conjugium, quod cum aliis rebus tum Soceri gloriâ, & ipsius conjugis modestia, thori que fecunditate, felix & jucundum extitit: quod quo loco habendum sit, planum est omnibus qui & conjugis probæ & liberorum donum oraculorum divinorum testimonio æstimare norunt.

Præclara hæc sunt omnia, in quibus singulis deprehendas, quo pacto dispensator animarum Deus, ut iterum alibi Origenes, in ipso itinere interferat laboribus etiam refrigeria, quibus refota anima & reparata promptior redeat ad reliquos labores. Veruntamen lactis ista omnia fuere, quo quod infantile & puerile est in nobis alitur: illud majus est solidiusque beneficiû quod in ipsa ablactatione accepit: quando puerilia isthæc solatia, veris solidisque bonis permutanda essent. Lacte dum viveret vescebatur: nunc vinum merum bibit, quod & ante & in ipso prope animæ exitu, evidenter

denter ab ipso degustatum cognovimus. Primum enim ubi
senferat morbum quo conflictabatur sibi fatalem fore, taci-
turnus aliquando & cogitabundus sat diu desidens, tandem
quasi gaudio subito perfusus, arridet leniter: causamque ri-
sus & lætitiæ à conjuge rogatus, haud credis, inquit, mea tu,
quàm jucundè intus mihi animus habeat, ita modò augu-
stam, illius vitæ quam speramus, formam contemplari, &
nescio quid suave atque hilare de ipso angelorum concentu
audire visus sum. Nihil potuit convenientius accidere illi
Augustini dicto, qui sitim ac desiderium cervi Davidici ex-
ponens: In domo DEI, inquit, festivitas sempiterna
est, festum sempiternum, chorus angelorum, vul-
tus præsens DEI, lætitia sine defectu. De illà æternà
& perpetuâ festivitate, sonat nescio quid canorum & dulce
auribus cordis: sed si non perstrepat mundus. Ambulanti
in tabernaculo admirabili Dei, & miracula Dei in redem-
tione fidelium consideranti: mulcet aurem sonus festivita-
tis illius, & rapit cervum ad fontes aquarum. Hac igitur in-
vitus festivitate macarites noster desiderabat & ipse fon-
tes vivos: & haud invitus expectabat jamdudum mutatio-
nem, quam arescentibus paulatim terrenorum solatorum,
uberibus, prævidere tempestivè poterat. Illo tamen maxi-
mè die qui præsentis vitæ postremus extitit; à puerili omni
dulcedine, ad melius diviniusque depositum vota ac deside-
ria sua prorsus transtulit: Apostolicum illud præcipuè inge-
minans; scio cui credidi, & certus sum quia potens est depo-
situm meum servare in illum diem. Interrogatus ab astan-
te Rev. & CL. D. M. JOACHIMO MAGIRO admo-
nitusq; de variis quæ tempus & locus ille videretur require-
re: id sæpius reddidit ursitque unicè: Christum habeo & re-
tinebo Christum: experiens videlicet, hoc esse unicum il-
lud

lud κειμήλιον, quod amissis cæteris omnibus etiam in nau-
 fragio nobiscum enatat. Neque credebatur, dum hæc ait,
 adeo ad propinquam properare mortem; qui & lecto pridie
 surrexerat & non multò ante solito liberalius pransus erat:
 donec præter omnium opinionem collapsò paulatim vultu,
 membrisque omnibus ad rigorem compositis, nullum vitæ
 vestigium reliquum faceret. Concurfant parentes, trepi-
 dantque, perculsi subito & inopinato casu: ac desperatis re-
 bus cæteris ad gemitus & preces convertuntur. Interim
 sollicita præ cæteris conjugal anxietas, arreptà quæ com-
 modum aderat aquâ medicatâ, tempora, ut fit, arterias & na-
 res illinit: ita ille revocato per hoc irritamentum spiritu, ad
 se rediens, astantes & aspectu & alloquio iterum recreare
 cœpit. Hic verò queri seriò & objurgare leniter, qui sibi ob-
 turbassent: jam enim eam ipsam viam quam volebat occu-
 patam à se fuisse: nunc intempestivâ interpellatione nihil al-
 liud effectum, quàm quod sibi, qui suavissimè modò fuerat
 dispositus (hoc enim verbo usus est) eadem denuò lucta-
 adeunda esset. Longiorem deinceps vitæ moram sperare
 ausos, & auxilia nova tentantes, rejicit ultrò & frustra isthæc
 omnia esse confirmat. Tandem ubi conjugem cum filiollâ
 parenti suo commendasset, seipsum rursus ad pugnam eri-
 gens: *jamjam*, inquit, *futurum est ut Dominus JESUS mihi*
imponat coronam honoris & gloria: nec multò post placidè &
tranquille prorsus spiritum Deo reddit.

Quemadmodum omnes fidelium morientium exitus,
 reliquis & certandi & superandi disciplina esse debent: ita
 præsens hoc victoriæ exemplum, non vulgare nobis viven-
 di pariter ac moriendi documentum esse poterat: sed
 nec mihi tanta est dicendi facultas; neque vobis fortè audi-
 endi patientia, hac præsertim cœli pluviosâ molestiâ, quæ

B

nos

nos inopinatò corripuit: ut quæcunq̃ue hic digna contem-
platione videntur, liceat ostendere. Superfluum imò fue-
rit: si quæ publicè modò audita sunt, attentè perpendere ac
ruminare libeat. Accusationi saltem ultimæ, quam defun-
ctus contra suos instituit, quod se mori prohibuissent: cal-
culus etiam noster meritò favere debet. Credo enim non
ulli æquè viventi & sano ac ROBERO nostro, sive ut redi-
vivo, post primum illud quasi specimen mortis; sive ut ex i-
pso saltem mortis limine loquenti:

Nam vera voces tum demum pectore ab imo

Eliciuntur: & eripitur persona manet res:

Credo inquam, & vos omnes opinor mecum: ipsum per se
mori, dulce quiddam ac beatum esse: magis quàm à viventi-
bus facilè fingi aut cogitari queat: saltem in vestibulo, in
quo & gaudens metuit pius, Gregorii verbo, & metuens gau-
det, nescio quid amaritudinis & luctû brevis prius experiun-
dum esse. Hoc simul ac perruptum fuerit; simul ac pes fi-
gatur in eâ viâ quam noster hic laudabat: tum verò lucrum
illud arripimus, quod in morte Apostolus prædicat: tunc
vinum merum bibimus, quod dum in nutricis terræ gremio
hæremus, Sapientia, Proverb. 9. aquâ & lacte solatii subinde
terreni miscere solet: tunc verè inebriamur à Sponso no-
stro, de quo in Cantico; ut animosi atque hilares rejiciamus
terrena auxilia, eaque vana, ac frustra esse dicamus: ut ado-
riamur quos oculi non vident hostes, & ad ipsa tandem cœli
adyta penetremus. Laconum olim non viros tantum sed &
fœminas ferunt eo animi fuisse robore, ut mortem filiorum
qui in bello perierant cum gaudio audirent: si generosè
modò pugnantes occubuisse intelligerent. Quid vobis igi-
tur Parentes eminentissimi faciendum putatis, qui non pu-
gnando morientem, sed moriendo vincentem, deque mor-
te adeo

te adeò ipsà & spiritualibus nequitiiis triumphantem, nō audistis, sed oculis propemodum vestris inspexistis? Ecquid amplius solatii aut præsidiū à periclitante vobis vestrisve sperare potuistis: quàm ab eo qui illum nunc victorem coronat & cōplectitur accepturi estis? Ridet nunc ille feroces alios homine forte prostrato, aut provinciā vastatā ac subactā: ridet opinor etiam magis qui linguā bellicosi, ubi se verbis vel scientiā superare crediderint, quasi de Carthagine captā vel de gazis Attali sibi placere solent: ridet fortassis omnium maximè qui commiserandam hanc aliorum vanitatem ac stultitiam invidè aut indignè ferunt. Quis enim verò est horum hodie victorum omnium, qui non intra paucos hosce, viginti finge, aut triginta ad summum annos, corpore certè victus, cadaver foetidum vermiumque esca futurus sit? Hæc verò demum est corona quam defunctus noster postremo laudabat: hic pugna, hic victoria. Hic oculis opus est, quos vel Ezechiel habuit animalia & rotas flammantes videns, vel quos Eliseus olim famulo suo precabatur: ut animadvertamus igneos circumcirca currus equitesque, qui nos vel oppugnant incautos, vel resistentes laudant & adjuvant. Hic ut inquit Sapiens, qui spiritui suo dominatur: qui voluptates, qui superbiam, qui avaritiam, qui libidinem, qui iram, qui ambitionem, qui invidiam, & alia invisibilium nequitiarum tormenta superat: is demum reverà fortior est quàm qui capit urbes; quia omnem inferorum exercitum debellatum pedibus conculcat & subigit. Quicquid huc non confert, id vel leve admodum, vel vanum etiam & frivolum, &, ut noster loquebatur, frustra est.

Sed ego dum quasi ascendentem à nobis animam aspectu quā licet prosequor, obliviscor propemodum, quod officio &

cio & pietati vestræ debeo : qui & exsequias frequentes i-
stis , & auscultandi in nonnullâ aëris inclementiâ patientiâ
honori & consolationi benè meritorū impendistis. Nostis ,
Magn. Dn. Rector , Viri eminentissimi, Præstantissimi, Florentis-
simi , quid in hujusmodi officiis laudari , quid vicissim pro-
mitti quid optari soleat : hæc suo quisque loco atque ordine
tantò certius à lugentibus vobis pollicemini : quantò pluri-
bus indiciis , virtus , fides , ac integritas illorum universis
jampridem spectata est : ita enim & me dicendi & vos au-
diendi ulteriore labore & molestiâ sublevaturi estis. Vo-
tum duntaxat addo brevissimum , quod universos mecum
mente & affectu magis quàm voce concipere & retinere o-
pto : Moriatur anima mea morte iustorum : & fi-
ant novissima mea horum
similia.

D I X I.

